

## Tekst 3

---

*Hannibal krijgt opdracht Italië te verlaten.*

1 Postquam edita sunt mandata, "Iam non perplexe" inquit "sed palam  
2 revocant qui vetando supplementum et pecuniam mitti iam pridem  
3 retrahebant. Vicit ergo Hannibalem non populus Romanus totiens caesus  
4 fugatusque sed senatus Carthaginiensis obtrectatione atque invidia;  
5 neque hac deformitate reditus mei tam P. Scipio exsultabit atque efferet  
6 sese quam Hanno qui domum nostram quando alia re non potuit ruina  
7 Carthaginis oppressit."

8 Iam hoc ipsum praesagiens animo praeparaverat ante naves. Itaque  
9 inutili militum turba praesidii specie in oppida Bruttii agri quae pauca  
10 metu magis quam fide continebantur dimissa, quod roboris in exercitu  
11 erat in Africam transvexit, multis Italici generis, quia in Africam secuturos  
12 abnuentes concesserant in Iunonis Lacinae delubrum inviolatum ad eam  
13 diem, in templo ipso foede interfectis. Raro quemquam alium patriam  
14 exsilii causa relinquentem tam maestum abisse ferunt quam Hannibalem  
15 hostium terra excedentem; respexisse saepe Italiae litora, et deos  
16 hominesque accusantem in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum  
17 quod non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset;  
18 Scipionem ire ad Carthaginem ausum qui consul hostem Poenum in Italia  
19 non vidisset: se, centum milibus armatorum ad Trasumenum ad Cannas  
20 caesis, circa Casilinum Cumasque et Nolam consenuisse. Haec accusans  
21 querensque ex diutina possessione Italiae est detractus.

*Livius, Ab Urbe Condita 30.20.2-9*